138 reuerencie *sic Ms.*

144 *sic uicis, lineola super ultimam syllabam addita; an simpliciter pro uicis?*

148 *hic clare, cartusie(n)s(is).*

156 cartus, *ut supra l.* 132.

157 *hic clare atque plene premonstrace(n)s(is).*

28) Cf. Gen. XXVIII, 17.

29) cf. Gal. II, 11.

(7). Vt ergo quod proposuerat cicius ac cercius manciparet effectui, ab abbate licenciatus, celeriori reditu properabat in Angliam. Deinde modico post interuallo temporis ad dominum Lincolniensem se contulit, quem piis precibus sollicitauit, quatinus interuencione ipsius ac meritis in domum de Witham ordinem Cartusiensem intrare ac fratrum eiusdem loci consorcio mereretur adunari. Cuius preces episcopus sanctus benigne ac libenter, ut decebat, admisit. Nec enim quis qualis ue uel quantus uir ille fuisset, antistitem ipsum latere omnino tunc potuit. Sumptis igitur pontificalibus litteris, priori de Witham ac conuentui pro se directis, sepe dictus Adam Witham uenit.

(8). Eodem autem tempore conuentus in loco minori morabatur, eo quod locus maior necdum perfectus esset, ne<c> proinde dedicatus. Et quidem loci solitudine et modo conuersandi non mediocriter delectatus, in amorem solitarie conuersacionis flagranti desiderio estuabat. Cum igitur a priore et ceteris fratribus in osculo sancto deuote admissus fuisset, non eis cuius rei gracia uenisset statim aperuit. Sed uerbum dei coram eis faciens, cuius inicium et thema fuit : ECCE ELONGAVI FVGIENS ET MANSI IN SOLITVDINE ³⁰⁾ — quod ita eleganter, digne et luculenter prosecutus est, ut auditores eius dulci admodum subfoderentur compuncione et pia accenderentur deuocione, sed et magister Eustachius, de quo supra pretaxatum est, qui sciolus antea habebatur inter eos, in tantum super hiis que procedebant de ore eius ³¹⁾ delectatus est, ut, completo sermone, rogaret obnix, quatinus aliquis ex fratribus ipsum sermonem coram eo, ipso recapitulante, posset annotare, et tenacius memorie commendare : quod diligentissime fieri permisit — deinceps uero, prout ei libuit, prolatis litteris domini Lincolniensis, cuius rei causa aduenisset, humiliter eis ostendit. Cuius petitioni et desiderio fratres deuotissime concedentes, gaudebant, deo gracias agentes super tali ac tanto collega ce-

166 lincoln ut supra l. 133.

168 cartus ut supra l. 132.

175 nec scripsi : ue sic Ms.

181 faciens fortasse pro fecit, nam perlonga sententia quae sequitur orationem dirumpit.

192 hic clare et plene lincolniens(is).

30) Ps. LIV, 8.

31) cf. Mt. XXVI, 37; Mc. XIV, 33.

195 litus eis collato. Sperabant namque, prout consequenter experti sunt, illius exemplo et doctrina ad sublimiora nonnullos posse proficere, et uite celestis desiderio flagrantius accendi.

(9). Ipse autem diligenter attendens quia nocet quandoque differre paratis, familiam suam cum equitaturis et omni sup-
 200 pellictili sua, nichil sibi preter indumenta quibus uestiebatur retinens, domum remisit, uale dicens illis, et per eos omnibus qui eum prius nouerant et dilexerant. Susceptus autem iuxta modum ordinis Cartusiensis, mutatoque habitu in cella positus, conuersatus est in timore dei et magisterio spiritus sancti.

205 10). Necdum uero quatuor aut quinque in cella menses expleuerat, cum subito ab insperato nuncio litteras abbatis Premonstraci et capituli generalis eiusdem ordinis comminatorias accepit. Quarum summa hunc modum habebat, scilicet quod, nisi infra annum a suscepcone mandati rediret ad ordinem,
 210 quo minus discrete exierat, sciret se proculdubio ab omnibus abbatibus Premonstracensis ordinis excommunicatum, et pro excommunicato habendum. Super qua repentina comminatione, cepit pauere, tedere et mestus esse ³¹⁾. Verumtamen hujus nebuloſe temptationis mestitudinem satis cita et certa depulit
 215 consolacio. Domino namque Lincolniensi a primo consecracionis sue tempore consuetudo fuit singulis annis, nisi urgencioribus negociis prepediretur, Witham uenire et ibi per aliquod spacium temporis commorari, et in cella sua, que semper sibi uacua manebat, sue Rachelis amplexibus dulcius deliciari.
 220 Igitur dum magister Adam super comminatione sibi intentata anxius estuaret, affuit ei repente domini Lincolniensis desiderata presencia. Propalatis igitur coram episcopo ab ipso Adam que sibi ab abbate Premonstraci nuper fuerant denuncia-
 225 tiata, precepit episcopus ei nullam curam super hiis aut

198 attendens s. l. add.

203 hic tantum cart, compendii signo addito.

207 hic plene premonst(ra)ci (item inferius l. 229, 236, 241).

210 quo scripsi : que(m) Ms.

214 nubulose sic Ms.

215 hic iterum (cf. l. 192) lincolnie(n)si.

218 prius sibi semper, quem ordinem scriptor ipse mutauit.

221 hic etiam li(n)colnie(n)s(is).

223 premonstraci ut supra l. 126.

- 225 sollicitudinem gerere, spondens firmiter ac pollicens infra terminum sibi prefixum episcopali diligencia ac prouidencia pacem et quietem super huiusmodi plenissimam sibi affuturam. Eodem nempe anno, per abbatem de Neuhus, que domus ordinis Premonstracensis in diocesi Lincolniensi sita est, ad capitulum generale accedentem, dominus Lincolniensis, et de excellencia uite solitarie et dignitate professionis heremitice, nec non quod sanctorum canonum auctoritate et sacre scripture assercione et sanctorum patrum exemplo liceat unicuique ad arcio rem uitam transire, abbati Premonstraci et capitulo generali eiusdem ordinis ita probabiliter ac litteratorie studuit dilucidare, quod idem abbas Premonstraci et ceteri quotquot erant in capitulo generali congregati, per predictum abbatem de New-
 230 <hu>s, ad laudem et honorem et consolacionem magistri Ade, in hunc modum priori de Witham unanimiter scribere decreuerunt :

- « O(bertus) permissione divina Premonstraci abbas et eiusdem ordinis abbates in generali capitulo congregati uiro uenerabili A(lberto) priori de Witham salutem et sinceram in domino caritatem. Cum pro reuocando ad ordinem nostrum
 245 « fratre Adam monacho uestro, quondam canonico nostro, sepe « laborauerimus ob uite sue honestatem et suarum affluentiam « litterarum, pro quibus eius redditum credebamus nostro ordini « cedere ad honorem, tandem uidentes in uestro ordine ipsius « perseueranciam, ad preces uenerabilis patris nostri H(ugonis)
 250 « Lincolniensis episcopi et dilecti in Christo fratris nostri ab- « batis de Neuhus ipsum Adam uobis et ordini uestro ab obedientia quam nostro fecit ordini penitus reddimus absolutum. « Valete. »

- (10). Talibus igitur litteris a capitulo generali ordinis Premonstracensis adeptis, noster Adam animeq(ui)or effectus, et ab comminatione et perturbacione penitus expeditus, totum se deo denouitt, totum se diuinis obsequiis mancipauit, et uite solitarie feruidus amator, in silencio, quiete et oracione et sacre

229 li(n)coln, lineola addita, de nouo inferius.

233 re uera ass(er)cce Ms. lineola super ultimas litteras addita.

237 sic News (sed cf. l. 228 et 251).

241 pro O(bertus) scriptor tantum P. sic tradidit; de quo cf. praeuios commentarios.

250 lincon sic, lineola super ultimam n posita.

255 ita premonstrac(ensis). — animeqor sic Ms.

scripture meditatione omne tempus uite sue, postquam here-
 260 mum de Witham ingressus est, deuotissime expendit, in tantum
 ut numquam, a prima die ingressus sui in domum de Witham,
 ianuam exteriorem eiusdem domus preter semel exierit, uel in
 locutorium ante fores ecclesie digressus sit. Nec aliud in ipsa
 domo nouerat iter nisi quo a cella ad ecclesiam tenditur, et ab
 265 ecclesia in cellam reditur. Hiis igitur et huiuscemodi studiis et
 excercitiis indesinenter insistens, placebat tam deo quam homi-
 nibus ³²). Et erat uita eius celibem conuersacionem profitenti-
 bus speculum et exemplar et tocius norma discipline.

(11). Verum et si diligencius clandestino celle latibulo la-
 270 tere studeret, fama tamen conuersacionis eius eum nullatenus
 delitescere permisit. Que, quasi pira glebarum congerie inferius
 compressa, ui sui feruoris in libertatem purioris aeris erum-
 pens, quamplurimum corda calefecit, et ad oblectamenta huius
 uite occidue deserenda non segnus accendit. Properabat nam-
 275 que ad eum frequens turba magnatum; ecclesiastice dignitatis
 principes conuenerunt, ut meritis eius ac precibus sese com-
 mendarent, et ut ex ore eius roris celestis perfluentis stillici-
 dio mererentur perfundi. Et quia uir sanctus non aliter docere
 potuit quam uixit ³³), loquebatur auditoribus suis sepe cum
 280 effectum, et predicacio eius placens erat et efficax, que usque ad
 medullas cordium auditorum quam sepius penetrauit ³⁴).

(12). Quod euidencius unius magnatis patuit exemplo. De-
 nique tempore domni Roberti, quondam prioris huius loci de
 Witham, de quo loco suo plurima restant dicenda, sancte re-
 285 cordacionis Hucbertus Cantuariensis archiepiscopus et tocius
 Angliae primas, cui eciam eo tempore tocius regni cura et sol-

264 domo *s.l.* add.

269 et fortasse pro eciam, idest compendii signo omissio.

269 latiblo, signo pro u super o male addito.

271 glelarum re uera Ms.

275 magnatum] hic, ut uidetur, uerbum quoddam deest, etiam uel immo..

279 liquebatur sic Ms.

32) cf. superius n. 20.

33) cf. Vitam s. Bénédicte, c. XXXVI : ...sanctus uir nullo modo potuit aliter docere
 quam uixit (P. L., LXVI, 200 D. l. 3).

34) cf. Hebr. IV, 12.

licitudo post regem incumbibat, exosam habuit domum de Witham in tantum ut nec quempiam ordinis Cartusiensis benigne posset aspicere. Quem utique quidam forestarii, homines
 290 quidem maligni et ceteris peruersiores, eidem domui delatorie auersum uel aduersarium fecerant, derogando sumentes occasionem de quibusdam consuetudinibus cuiusdam pasture predictae domus, maligna interpretatione asserentes et archiepiscopo suggerentes tales consuetudines uiris religiosis minus congruere; que, si digne et uerius estimarentur, personis secularibus crudeles satis et pernicio<sio>res censerentur.

Porro modico interuallo, ad expediendas monasterii Glastoniensis necessitas, cum idem archiepiscopus in prouinciam et partes domus de Witham contulisset, accessit ad eum predictus prior eiusdem domus, debitis tante excellencie precibus eundem sollicitans ac reuerenter expostulans, quatinus domum de Witham ordinis Cartusiensis sanctitatis sue presencia dignam duceret, et fratres Cartusienses, inibi iugi detentos clausura, optata benediccione sua in Christo domino refoueret. Cuius
 305 precibus libencius fauens et Witham ueniens, in domo inferiori archiepiscopus hospicio se recepit, ubi iuxta possibilitatem mediocris substantie ab ipsa domo pene in omnibus administratus est.

Verum cum iam archiepiscopus factus esset hillarior, et
 310 amica adinuicem et grata miscerent colloquia, procurator domus eiusdem domnus Radulphus, uir utique eloquens et sermone satis disertus, tempus nactus opportunum, super consuetudinibus predictae pasture cum archiepiscopo prudenti effatu disseruit, probabiliter asserens ab antiquis temporibus easdem
 315 inductas et institutas, et a generatione in generationem fuisse obseruatas, magis propter indempnitatem ipsius pasture conseruandam, quam ob studium auaricie aut temporalis emolumenti lucrum consecrandum. Et tam discrete ac prudenter, in collatione illa se gessit, ut ipse archiepiscopus consuetudines
 320 predictas non solum permissibiles, uerum eciam satis rationabiles assereret, et quam tam leui cicuius malignis delatoribus

288 cart. ut supra l. 203.

296 perniciores sic Ms.

302 cart(usi)e sic Ms., idest parua e super rectricem lineam hic addita.

303 cartus ut supra l. 203.

321 leui] hic, ut uidetur, uerbum aliquod deest, uerbi gratia ratione; sed etiam concicere licet : leuiter et.

fidem dedisset, non mediocriter seipsum reprehendebat. Porro ab huiusmodi tanquam nugatoriis ad seria disserenda et co<m>moda sese transferentes, de ordine Cartusiensi et obser-
 325 uanciis eius grata adinuicem collacione conferebant.

Erant autem nonnulli ex clericis domini Cantuariensis qui de magistro Adam plurima didicerant, qui beati Hugonis col-
 laterales fuerant, et domino suo eximiam illius in Christo con-
 uersacionem, et quanta erudicione et in diuinis litteris intelli-
 330 gencia premineret, studiosius enarrabant. Super quibus tanti
 uiri preconiis delectatus archiepiscopus promisit domno Ro-
 bertio priori, hec eadem de ipso Adam asserenti, in domo supe-
 riori in crastino missas se uelle audire, et ipsum Adam uidere
 et diligencius alloqui. Quo summo mane cum ascendisset et, a
 335 priore in chorum introductus, uidisset sacerdotem ad celebra-
 da missarum solempnia iuxta morem ordinis, sacerdotalibus
 uestibus indutum, mirari cepit uestium simplicitatem. Et statim
 ex capella sua preciosam casulam allatam panni diasperi pre-
 cio LX^a solidorum precepit super altare offerri et ea sacerdo-
 340 tem statim indui. Missam autem illam celebrauit pie memorie
 domnus Robertus, quondam prior Wintonie. Archiepiscopus
 uero ad missam illam in cathedra sacerdotali iuxta altare se ha-
 buit, deuocius solito oracioni insistens, delectatus quidem loci
 humilitate et simplicitate heremetice professionis, sumptuosa
 345 ecclesiarum ornamenta fastidientis.

Expletis igitur missarum solempniis, congregato conuentu, archiepiscopus cum suis claustrum ingreditur. Dictoque ab ip-
 so « Benedicite », quis esset magister Adam statim quesui-
 quem certo indicio prior ei designauit. Ille uero, iuxta quod
 350 scriptum est ³⁵⁾ : *IVSTVS IN PRINCIPIO SERMONIS ACCUSATOR*
EST SVI, illico sic factus est : « Sancte pater, ego sum Adam
 peccator, uestre sanctitatis seruus ». Archiepiscopus uero, satis
 eum benigne alloquens, rogauit ut consolacionis gracia coram
 eo uerbum dei predicaret et diuini uerbi sciencie ferculis, qui-

324 cartus ut supra l. 203.

326 cantuar, compendii signo addito.

343 q(ui)d(em) in ras. scriptum, insuper clarius in margine iteratum; idest, ut uide-
 tur, pro super uel in; nam deinde humilitate(m) et simplicitate(m) amanuensis scripsit
 atque corrigere oblitus est; quae equidem correxi.

35) Prov. XVIII, 17 (re uera iuxta Vulgatam recensionem : Iustus prior est accusa-
 tor sui).

355 bus eum graciosius opimatum didicerat, sibi suisque esurien-
tibus aliquid saltem uel modicum impertiret. Quod quam dig-
ne, eximie ac luculenter expleuerit, rerum cercius probauit
euentus. Denique quia ille uenerabilis pater mediocriter litte-
360 ralis intelligencie sciencia imbutus erat, uiros sapientes et gna-
ros et tocius facultatis ingenue sciencia preditos contubernales
habere consueuit; et quidem satis prudenter, scilicet ut littera-
turam et scienciam qua minus pollebat, quociens opus expeteret,
facilius eam ab aliis deprope mutuaret. Horum igitur quotquot
tunc cum ipso archiepiscopo presentes fuerunt, finito sermone
365 et dignissime completo, cumpuncti corde, in laudem ipsius
Ade deuotissime proruperunt, fatentes et contestantes non
hominem, sed potius spiritum sanctum per hominem ipsum
fuisse locutum. Mirabantur etiam gracias deo agentes, quod
sancta ecclesia illo in tempore tales haberet lucernas, quamuis
370 sub modio priuate conuersacionis delitescentes ³⁶⁾.

Quid eciam idem archipresul fecerit, non sine admiratione
contuendum est. Nempe, expleto sermone, quasi sermo diuinus
singulariter eum ac specialiter tetigisset, repente surrexit et,
magistrum Adam per manum foras educens, ait : « Expectate
375 nos hic, donec redeamus ad uos. » Ingressique cellam ipsius
Ade, mora diuturniori archipresul de secretis suis cum ipso lo-
cutus est, profluentibus lacrimarum imbribus ab oculis suis in
tantum ut ipse Adam attonitus stupeat. Depositisque indumen-
tis suis, tamquam Christi puerulus, uirgarum impositione disci-
380 plinam ab eo accepit, deuotissime supplicans quatinus super
dominicam oracionem sibi componeret. Exinde in claustrum
regressi, archiepiscopus, fraternitate suscepta et fratrum se ora-
cionibus commendans, pollicitus est plane ac spopondit omni
tempore uite sue domum de Witham et, occasione ipsius, ordi-
385 nem Cartusiensem specialiter ac propensius se dilecturum et
honori et uenerationi habiturum. Priori eciam domus illius
precepit quatinus, in omnibus necessitatibus et negociis domus
sue que per eum expedienda confideret, procul hesitatione et
diffidencia ad eum securissime properaret. Post que iuxta mo-
390 rem confessione peracta, et absolutione ab ipso deuotissime

375 sic ingressi; cf. *inferius* (l. 382) regressi.

385 hic *clare cartusiense(m)*.

36) cf. Mt. V, 15.

cunctis presentibus exhibita, eleuatis manibus benedixit fratribus, et recedens ferebatur ab eis ³⁷⁾).

Verumtamen quam fideliter, benigne et deuote omni postmodum uite sue tempore soluerit quod aliquando fideli sponse promisit, ad dandam rei certitudinem eminens satis indicium fuit quod, ubicumque prior de Witham ad eum postmodum uenisset, quibuscumque uiris principalibus ac magnatibus uallatus aut circumseptus esset, uenienti assurgere, reuerenter salutare ac deosculari, et sibi immediate collateralem siue in mensa siue in locis ceteris idoneis et honestis ipsum habere consueuerat, et equi prioris cum equis archiepiscopi, qui de sella eius erant, ex precepto illius iunctim in stabulo locarentur. Preterea cum idem reuerendissimus pater pro regni negociis expediendis aliquando ad transfretandum urgeretur, et prior de Witham ad capitulum generale properaret, non solum in classem quam sibi elegerat ipsum priorem secum assumpsit; uerum eciam solus cum solo in scapha eiusdem puppis consedit, ubi in tante necessitatis articulo deuocius oracioni incumberent, et mutuo sese diuinis solarentur alloquiis.

Liquet igitur perspicue episcopi prouinciales et ceteri magnates magistrum Adam quanta ueneracione et honore excolebant, quem ex sola collacione permodica princeps presulum tante familiaritatis et amicie sibi glutino copulauit ut non solum offensam quam erga domum conceperat remitteret, sed eciam ipsam domum et ordinem Cartusiensem pro deo et illius amore et reuerendo diligeret et diligendo reuereretur.

(13). Igitur cum prefatus Adam, ut ex parte aliqua preostensum est, sacris polleret moribus, et iuge deo pie deuocionis et defecate oracionis — instancia longanimi sollicitius — gratum sacrificium immolasset, haberetque iam plurimos dies essetque prouecte etatis, quia, iuxta apostolum ³⁸⁾, QUEM DILIGIT DOMINVS CORRIPIT, FLAGELLAT AVTEM OMNEM FILIVM QVEM RECIPIT, acriori morbo, quem medici morbum mortuum uocant, correptus est. In qua infirmitate ferme biennio ante decessum sui

410 perspicue] *hic supplendum quod.*

415 cart(usi)e ut l. 302.

37) cf. L c. XXIV, 50-51.

38) Hebr. XII, 6 (in *Vulgata* castigat pro corripit).

425 decoctus, et quasi aurum quod per ignem transit probatus ³⁹⁾,
mundior et ideo felicior ex carnis ergastulo ad feliciora migra-
uit. Denique cum heremum nostram de Witham XX^{ti} pene
III^{or} annis uenerabili presencia et deuotissima conuersacione
illustriorem reddidisset, et tam deo quam hominibus gratus
430 esset et acceptus ⁴⁰⁾, — sub interdicto generali quod, imperante
domino papa Innocencio tercio, propter uenerabilem patrem
Stephanum, Cantuariensem archiepiscopum, et ob induracio-
nem Iohannis, regis Anglorum, uniuersam Angliam et Walliam
per septennium constrinxerat, — dominica palmarum die, con-
435 uocato ad eum cetum monachorum cum priore domno Roberto
de Cauefordis, quasi ultimum illis uale faciens, de conseruanda
adinuicem caritate, et quanta concordia et unitate uniri debe-
rent, sermonem longius protraxit. Etenim singultu lugubri et
lacrimis, singulis fratribus deosculatis et eius benediccione per-
440 fruitis, conuentus ad cellas reuersus est. Feria uero ebdomade
sancte tercia, cum iam mori putabatur ab hiis qui ei ministra-
bant, super cinerem benedictum et cilicium positus, congregato
ad eum de more conuentu, sine dolore aliquo et gemitu uel sus-
piriis, dormienti magis quam morienti similis, compressis lu-
445 minum palpebris, in Christo feliciter obdormiuit ⁴¹⁾. Cuius
corpus abluere et de more ordinis pannis insuere, in feretro
locare et in ecclesiam deferre et ad tumulum portare, in sepul-
chrum eciam deponere, licet immerito, michi qui hec utcumque
dictando compilaui gracie concessum est.

450 (14). Denique cum isto uenerabili patre magistro Adam co-
mes indiuiduus et socius contubernalis in hac heremo nostra
de Witham amplius quam decem annis extiti, non quasi comes
aut socius, sed potius sicut alumnus et pedisequs, licet eius-
dem habitus et ordinis. Et ideo unde oriundus extiterit, aut quo-
455 ad nostram heremum sua presencia clariorem et deuotissima
conuersacione diutina sanccioem reddendam se aliquando
transtulerit, sicut ab eius ore colloquendo aut scripta sua legen-
do didici, breui ac succincto sermone et minus polito ad noti-
ciam plurimorum tam presencium quam futurorum sic litté-

451 nostro sic Ms.

39) cf. Prov. XVII, 3.

40) cf. Tob. XIV, 17.

41) cf. Act. VII, 60.

460 ratorie, ut prefertur, diriuare conaui. Si cui vero in uoto fuerit scire magister Adam cuius figure et habitudinis extiterit, nouerit eum fuisse statura mediocrem, iuxta mediocritatem stature satis corpulentum, facie hilarem, capite caluum, et tam pro uenustate morum quam pro etate et canicie ualde re-
465 uerendum.

[II]

Quia uero idem uenerabilis uir magister Adam sacre scripture intelligencia non mediocriter effulsit, antequam Witham adueniret, plures tractatus diuine pagine edidit, quos in duobus codicibus magnis compegit. Qui codices, quia ea que in
5 illis continentur in modum omeliarum digesta sunt, SERMONARIi MAGISTRI ADE appellantur. Plura eciam opera in domo de Witham, ubi per XX^{ti} pene IIII^{or} annos monachus eiusdem ordinis, uidelicet Cartusiensis, sancte et humillime semper sub obediencia uixit, (opera) digne commemoranda elaborauit. Ex quibus est libellus SVPER CANONEM MISSE. Item libellus
10 DE QVATRIPERTITO EXERCICIO CELLE. Item libellus SVPER DOMINICAM ORACIONEM ad Hucbertum archiepiscopum. Item libellus qui intitulatur SPECVLVM DISCIPLINE. Item libellus qui dicitur DIALOGVS MAGISTRI ADE. Item libellus quem uocauit
15 EXAMERON. Item libellus DE CONSANGVINITATE BEATE ANNE,

460 Si etc.] Haec particula, quacum etiam fragmentum secundum iungitur, in *Vespasiano* codice (= *V*) traditur, sic inscripta : De magistro Adam Cartusiensi; quapropter deinceps ab illo lectiones alterius, idest *C*, distinguuntur. — uero om *V*.

461 habibidinis sic *V*.

463 hillarem *V*.

464 pro om. *C*. — reuerendum] hic duorum uersuum spatium in *C* seruatur et amplius, idest aliud fragmentum siue pars postea discernitur.

II. 1 idem s. l. add. *C*.

2 wytham *V*.

7 quator sic *V*.

8 uild(elicet) *V*. — cartus *C*. ut supra l. 203, similiter *V*.

9 opera in duobus mss. sic superabundat. — commemoranda] memorie commendanda *V*, fortasse rectius.

10 it(eru)m fortasse hic et deinceps in *V*. — libellus] liber *V*, fortasse rectius.

11 exercicio *V* exercicio sic *C* (et ipse *V* prius).

12 orac. dom. *V* fortasse rectius.

13 qui intitulatur] quem uocauit *V*.

15 item om. *V*.

MATRIS BEATE MARIE ET BEATE ELIZABETH, MATRIS BEATI IOHANNIS BAPTISTE. Item libellus qui dicitur SECRETVM MEVM MICHI. Et plura alia opera meritoria et scripta fecit et edidit, que ad presens memorie mee minime occurrunt *dicit compi-*
20 *lator, et cetera.*

[III]

DE PRIORE DE WITHAM ALBERTO NOMINE

Eodem tempore dominus Hugo Lincolniensis episcopus, cui specialiter auctoritate capituli generalis domus de Witham commissa fuerat, predicto Alberto ad se accersito, querelas satis graues et querimonias intorsit, eo quod, referentibus
5 quibusdam monachis et conuersis de Witham, cercius didicisset ipsum minus religiose ac deuote ad honorem dei et proximorum salutem in domo sua conuersari. Cumque super obiectis sibi episcopo minus ad uotum satisfaceret, nec stomachantis animi motus digna responsione mitigaret, illico ab
10 administracione prioratus amotus, *et cetera.*

[IV]

Siquidem ille Albertus monachus erat domus Portarum, immo et de numero fratrum illorum primus quos illustris rex Henricus in prima uocatione a Cartusia in Angliam adduxerat. Hic igitur, suscepto prioratu, quia uir erat simplex ⁴²⁾ et
5 intelligencie litteralis erudicionem mediocriter edoctus, quod inter humane occupacionis excercicia potissimum arbitratus est, illud cum felice Magdalena optimum duxit ⁴³⁾, uidelicet excerciciis celle uacare, oracioni deuocius incumbere, contemplacione supercelestium mentem sustollere, theoricis discipli-
10 nis studiosius inhiare.

16 (eate 1^o om. V. — beati] sancti V.

19 occurrunt] hic prior pars V desinit.

20 cetera] postea denuo spatium in C disponitur.

III. 1. sic lincoln, ut supra l. 133, Ms. (idest C in quo solo particula haec traditur). 10 et cetera] hic continuo sequitur (idest in nostro C) ultimum fragmentum, quod illis uerbis satis secernitur.

IV. 3 cart(usi)a sic Ms., idest ultima a supra reatricem lineam retenta.

7 mag(da)l(en)a Ms., ita tamen ut syllaba la supra lineam ponatur.

42) cf. Iob I, 1.

43) cf. Lc. X, 42.

Sub prioris huius regimine uiri preclarissimi quatuor con-
 uenerunt, quorum primus fuit magister Adam, abbas quidem
 ordinis Premonstracensis, domus eiusdem ordinis nomine Dri-
 burge; secundus extitit magister Robertus, prior maioris mo-
 15 nasterii et ecclesie cathedralis Wintonie; tercius fuit magister
 Walterus, prior ecclesie cathedralis Batonie; quartus autem
 inuenis quidam, Theodorus nomine, secularis. Porro uiri isti
 et precipue tres illorum, preter honorem et reuerenciam pre-
 lacionis qua quondam preminebant, sciencia, doctrina et elo-
 20 quencia tam clari extiterant ut singulorum laudes stilo uenus-
 tiori explicari et dignius mererentur efferri quam paruitatis
 mee sermo possit explere, *et cetera*.

ANDRE WILMART, O.S.B.

-
- 11 Sub etc.] *Hic tertia pars codicis V incipit, quae usque ad finem nunc proseguitur.*
 11 prioris huius regimine] priore de Wytham nomine alberto V.
 12 quidam abbas V., ita quidam CV simul adtestantur, quondam tamen malles.
 13 premonstrensis V.
 14 extitit] fuit V.
 15 wyntonie V.
 15 fuit] extitit V.
 17 nomine theodericus V, fortasse rectius.
 18 reuerentiam hic C scripsit, consuetudine sua relicta.
 22 et cetera om. V, sed add. Deo gracias; insuper scriptoris signum tradit, (cf. corol-
 lam illam Domino Mandonnet oblatam, II, p. 145, 147).